Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30417
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Quid est tradere dominum? Vendere dominum. Quid est vendere dominum? quid est ven-
dere? alienare. Dominum vendit qui a se dominum alienat. Dominum alienas
a te, quando eum repellis a te. O monache dei, o discipule Christi, audi me.
Audi consilium meum. Te diabolus querit evellere, te extrahere de grege domini.
Vide ne consentias ei, vide ne te credas ei. Mendax est, sicut et pater
eius. Te vult occidere, te vult mactare, te vult prodere secum in gehennam. Ca-
ve tibi a loculis, cave tibi a marsupiis. Fauces diaboli sunt. Heu quod
illis perdidit, quod in eis interficeretur. Dicitur de iuda, quod fur erat, et locu-
los habens. Iste siciens lucrum, tendit ad laqueum, dum pro vita lucra-
tur mortem. Heu quod loculi, quod marsupia sunt in monasteriis benedicti.
Heu quod loculati, super auriculas tonsorati. Habent marsupium
iniquitatis [?], habent loculum proprie voluntatis, marsupium murmurationis, detrac-
tionis, vagationis, superbie, livoris, invidie et male voluntatis. Sed me-
mentote fratres dilectissimi, quod qui talia agunt, iudam traditorem secuntur, et ideo
nisi se emendaverint, regnum dei non consecuntur. Estote dilectissimi discipuli
Christi non in falsitate sed in veritate, non in veste sed in corde, non in alta tonsura sed
in mente pura. Iudam relinquite desperantem, petrum sequimini vere penitentem.
Iudam relinquite in baratro inferni, petrum sequimini qui est in gloria paradisi.
Tenete lacrimas petri, tenete confessionem petri, tenete amorem petri, quod
quidem si feceritis, pervenietis ad gloriam petri, per ihesum christum dominum nostrum,
cui confitetur anima mea, et sanat eam quia peccavit ei. Qui cum patre
et spiritu sancto sit benedictus in secula amen.

Sicut auris non potest saciari auditu, nec oculus visu, sic
nos numquam saciari debemus enarrare pia opera christi. Nam
mira [?] dulcia sunt super mel et favum, et cariora super milia auri et
argenti. Ex hiis saturari non possunt amplificari [?]. Impleat do-
minus desiderium meum et letificet me in iocunditate vultus sui cum omni-
bus diligentibus eum. De quo in consequentibus dicitur. Sciens ihesus quia omnia